



Universitätsbibliothek Paderborn

**Nervi Sine Mole: h. e. Controversiarvm Roberti Bellarmini
S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Eminentissimi Compendium,
à cavillis & imposturis Guilielmi Amesij ... Vindicatum**

Erbermann, Veit

Heripoli, 1661

Cap. III. Solvuntur argumenta Iansenio-Calvino-Lutherica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9498

stitia, neque essent inexcusabiles, quia cum cognovissent DEVM, non sicut DEVM glorificaverunt, aut gratias egerunt: non enim naturali lumine apparet dignus gratiis ille, qui nostram naturam iustis ærumnis affecisset. Itaque juxta Adversarios everitur tota Philosophia naturalis, quam certum est non pugnare cum Theologia. Tota quippe Philosophia hæc fundatur in inductione per experientias, quas habemus in hac vita de operationibus omnium agentium. Sed istæ operationes, juxta Adversarios, nō proveniunt à natura rerum secundum se accepta, sed sunt accidentalis pœna peccati, quā præcisā & nos omnino aliter operaremur, & cætera agentia omnino aliter operarentur in nobis. Ergo juxta Adversarios, falsæ sunt omnes philosophicæ illationes, quas ex istis experientiis elicimus de rerum naturis.

7. Denique accedit ratio evidens, quia cùm creari in statu naturæ puræ nihil sit aliud, quām creari cum perfectione sua essentiali, omnib[us]que facultatibus & accidentibus connaturalibus, & concursu divinæ providentiaz naturaliter illis debito; ac sine bono vel malo naturæ superaddito; manifestum est D E VM potuisse creare hominem perfectum essentialiter, & reliqua dicta præstare, sine superadditis donis supernaturalibus, & sine peccato, pœnisq[ue] ei debitis; & consequenter manifestum est, potuisse D E VM sic creare non solum de potentia absoluta, sed etiam de potentia persapientiam ordinata, cùm nihil in eo indignum DEO, vel indecens rationabiliter præsumi possit.

CAPVT TERTIVM. Solvuntur argumenta Jansenio - Calvinio - Lutherica.

I. Si iustitia originalis-supernaturalis fuisset, sequeretur concupiscentiam carnis futuram fuisse naturalem, ac per hoc

Cap. III. Solvuntur obiecta contra puram naturam. It
hoc bonam, & à DEO. Sed hoc Scriptura negat i. Ioa. 2.
Rom. 7. &c. Resp. Concupiscentia carnis nunc qui-
dem pœna peccati est ; tamen homini condito in
puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non
quidem ut bonum aliquod naturæ, sed ut defectus,
& quasi morbus quispiam naturæ, ex conditione ma-
teriæ consequens. Vnde rectissimè dicitur non esse
ex DEO, odio, non amore dignam, malam, natura q;
contraria, propter duas causas. 1. quia non ex inten-
tione aucto r's naturæ, sed præter ejus intentionem
in homine existet, si in puris naturalibus ho-
mo creatus fuisset. 2. quia DEVS illam sustulerat, &
ex ipsius hominis culpa locum in nobis haber. Amé-
sius i. Concupiscentia vocatur à Bell. c. 5. propensio car-
nis ad bonum sensibile, in quod fertur per sensum &
appetitum. Propensio autem rei ad suum obiectum natu-
rale, est bonum naturæ, non defectus non morbus, nec ex ma-
teria pendens ; sed ex illa causa, quæ singulis facultatibus u-
nas indidit propensiones. 2. Præter intentionem DEI, non fa-
ctus est homo animal vivens, cum omnibus illis propensioni-
bus, quæ animali naturæ convenientiunt. 3. Utrum illud,
quod DEVS eam sustulerat, non facit ad rem ; quia illa
etiam quæ Dominus abstulit, passum ex DEO fuisse, secun-
dum illud Jobi : Dominus dedit & Dominus rece-
pit. Resp. Omnes istæ instantia seu Replicæ evan es-
cent si Observes i. Concupiscentiam sumi tum pro
potentia concupisciendi, tum pro motu seu actu ejus
potentia & rursus tam potentiam quam actum iterum
dupliciter accipi. 1. latè pro potentia vel actu ap-
perendi bona tantum sensibilia. Vt rovis autem mo-
do sumptuæ potentia non omnes actus malos ratio-
nique rebelles, sed aliquos esse bonos, ut in Christo,
B. Virgine, Beatis. 2. Prout igitur Concupiscentia su-
mitur pro potentia, sine dubio est naturalis perfectio
à DEO nobis insita, & bonum naturæ quatenus est
principium bonorum actuum : prout vero etiam
potest erumpere in actus malos & turpes, est defec-
tus perfectionis ; sicut quod intellectus possit ad
falsa

falsa declinare, & sensus possint deludi; item quod vivamus perfectio est; sed quod mori possimus, est imperfectio hujus vitæ mortalis. Sicut autem absurdum esset existimare, vitam & sensus & intellectum non esse naturales perfectiones nobis à D E O concreatas, eò quod possint deficere; ita proportionaliter hic de potentia concupiscibili, cuius rebelles motus non magis D E O debent tribui, quam ipsi aëtus formaliter liberi & peccaminosi, cùm neque illos intendat, (cùm potius velite eos reprimi,) neque ad illos concurrat aliter, quam ad entitatem actus peccaminosi: ad quos habet se tantum permissivè, & concursum generalem exhibendo ex officio causa primæ. 3. Non est ordo naturalis, ut pars inferior rebellet contra superiorem; sed ea pugna oritur ex imperfectione naturæ, estq; defectus illius: dominatus verò illius non oritur nisi ex defectu voluntatis illi succubentis, & minus efficaciter utentis suo jure & potestate, quam habet cohibendi eos motus. Falsum quippe est quod putant adversarii, nullam fore talem potestatem in statu puræ naturæ, nec jam esse in natura lapsa sine gratia propriè dicta. Exigeret enim status ille puræ naturæ talem providentiam, quâ per auxilia proportionata possit moraliter vitare peccata mortalia & naturalem suam beatitudinem assequi.

¶ Octo Objectiones transilit Amesius.

2. In parvulis jam quamprimum adolescent, maxima vanæ cupiditatis abundantia appareat, suaq; sponte immant impetu in vicia præcipites feruntur. Non sic homo in puris naturalibus natus fuisset. Resp. Assumptum non probatur, cùm tamen præcipue id sit in quæstione. Amesius. Cum Magist. sent. in 2. dist. 42. Alens. p. 2. q. 96° m 1. Bonau. in 2. dist 24. cum multis doceant, hominem fuisse creatum in puris naturalibus sine gratia, sequitur eodem docere. Naturam jam non magis ab ortu corruptam esse, quam fuit in creatione. Bell. etiam concedit, potuisse ealem creari hominem quoad inclinationem in vicia, qualis iam

Cap. III. Solvuntur obiecta contra puram naturam. 13
iam nascitur. Resp. Etsi hæc omnia gratis darentur,
non hinc firmaretur assumptum illud usque quaq;
nutans & flabile, immo aperte fallum. Falso autem
citat Magistrum sent., qui directè oppositum docet
dist. 25, in prin. c. In distinct. 42, autem neque gry ha-
bet de hac materia. Quod S. Bonav. Alens & alij
docēt, non habuisse Adamum mox in primo instanti
gratiam gratum facientem, nihil ad rem facit, neque
hinc ulla tenus sequitur, eum in puris naturalibus
conditum, ita ut non habuerit gratiæ auxilium, quo
stare poterat, ut loquitur Mag. Sent. l.c. quem commu-
niter sequuntur S. holastici.

3. Si DEVS impetum rebellem & iniquum, malum
ipſi nature, ante ullum hominis demeritum indidit, vix po-
test aliter fieri, quin DEVS sit auctor peccati. Resp. Hæc
objectio in primis locum non habet in Adamo, quem
supponimus non fuisse conditum cum ea rebellione,
sed potius planè rectum, liberum tamen, & poten-
tem deflectere à recto, uti & conditus erat supremus
cum cæteris Angelis. Neque in statu puræ naturæ
admittenda ulla tenus est illa sequela, non magis
certè quam faber ferrarius dici potest auctor esse ru-
biginis, quem gladius ab eo confectus contrahit.
Nec quiquam hic urget Amesius, quod non ex ob-
servatione ad 1. Obj. elisum sit.

4. Eterna beatitudo finis est hominis naturalis. De-
buit igitur homo media naturalia habere ad finem illum
consequendum. Iustitia igitur, quæ fuit necessaria ad bea-
titudinem consequendam, fuit homini naturalis. Respon-
det Bellarm. Beatitudo finis hominis naturalis est
quoad appetitionem, non quoad consecutionem.
Replicat Amesius: Novum hoc est, ut homo solus natu-
raliter appetat aliquid ut finem suum, quod nullis natura-
libus mediis consequi possit. Resp. Non est novum hoc
nam animæ hominum solutæ corporibus naturalem
habent propensionem ad corpora sua, nec tamen
iterum conjungi corporibus sine supernaturali auxi-
lio poterunt. Disparitas quam Amesius conatur affi-
gnare

gnare prorsus ad rem nihil facit. Est enim manifesta inter utruinq; paritas quoad hoc, quod nempe aliquis terminus vel finis supernaturalis non possit sine medio supernaturali acquiri. Vnde sufficienter disjecta est vis objectionis. Absolutè tamen (quod Bell. obiter innuit) respondetur melius ; Non posse quidem naturam humanam bearis sine aliqua contemplatione & dilectione DEI, in quo vera eius beatitudo consistit : sed illa contemplatio & dilectio DEI illaque beatitudo duplex esse potest; una naturalis, altera supernaturalis. Priorem appetit homo innato appetitu: ad posteriorem habet solum capacitatem obedientialem, ideoque non illam appetit homo naturali & innato appetitu. Appetitu autem elicito, sive actuali desiderio recte ordinato debet efficaciter desiderare illam, ad quam re ipsa ordinatus est: quod tamen circa revelationem divinam supernaturalem haud innotescere, manifesta docet experientia in Philosophis, qui ne conjectando quidem in aliqualem ejus devenere notitiam: unde & in eis appetitus illius esse nequivit , nisi ad summum inefficax & conditionatus, *Si foret possibilis*. Ad hunc ergo supernaturalem & indebitum finem cum DEVIS pure gratuita liberalitate hominem ordinaverit (ut cum SS. Patribus & S. Thoma 1. part. q. 12. Scholasticorum communiter docent,) potuit DEVIS ab illa ordinazione sibi libera abstinere, & ad beatitudinem naturalem duntaxat ordinare homines. Adde, Retorqueri posse hoc & similia argumenta contra ipsos adversarios. Non potest enim DEVIS etiam post peccatum creare hominem , nisi propter aliquem ultimum finem , sicut non potest ante peccatum. At etiam post peccatum nullus est ultimus finis, in quo homo quiescere possit, nisi DEVIS visus. Ergo etiam post peccatum tenetur Deus creare hominem propter sui visionem , & consequenter conferre illi media necessaria ad illam, adeoque potestatem consequendi dona justitiae in eam beatitudinem conductio centia.

Cap. III. Solvuntur obiecta contra puram naturam. 15
tentia. Fusè & eruditè contra Iansenitas hæc & simili-
tia prosequitur Ripalda disp. 8.9.10.11.12.

Gerhardus nihil hic novi profert; sed præter lo-
gomachiam de usu vocis, naturale, consuetam inep-
tiam iterat: Bell. fatetur, viros illos eruditos (Bajanos
errones) Lutherana suffragari sententia. Ergo Bell. est
ögθodoz̄ l̄us testis. Iungamus huic puerilitati arguta-
tionem nihilo saniorem. θ. 17. sic infert: Quæ natu-
raliter propagantur, & ex ipsa nativitate sunt hereditaria,
illa etiam sunt naturalia. Nam verò imago DEI fuisset na-
turaliter propagata ab Adamo in posteros, & ex nativitate
fuisset ipsi hereditaria. si Adamus in statu integritatis per-
stisset. Ergo imago DEI fuit primo hominini naturalis. Sed
quid hinc contra Bell. & Catholicos? an ideo quia
in aliquo minus proprio sensu dici potest natu-
ralis, ideo reverà donum supernatu-
rale non est?



LIBER

nifesta
pe ali-
fi sine
er dis-
d Bell.
se qui-
ntem-
beati-
ilectio
a natu-
ho no
n capa-
appetit
autem
ebet ef-
linatus
super-
et expe-
quidem
& in eis
num in-
unc er-
DEVS
erit (ut
olastici
ordinati-
natur
Retor-
ra ipsos
am post
liquem
rum. At
in quo
o etiam
em pro-
illi me-
conse-
condu-
centia.